DE QUODAM ABSURDO APPETITU OVIUM ATQUE DE ARTIFICIALI...

Luigi Zerlotto



DE

QUODAM ABSURDO APPETITU

OVIUM

ATQUE DE ARTIFICIALI LACTIS

SECRETIONE

ANNOTATIONES NONNULLAE

AB

ALOYSIO ZERLOTTO

EDITAE

UT MEDICINAE LAUREAM

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

ASSEQUERETUR

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXIV.



PHILIPPO . MARRAI

MEDICO

PERANTIQVA . EXPERIENTIA

SVMMAE . AVCTORITATIS

DOCTRINA . VENERANDO

VIRTVTE . PRAESTANTISSIMO

CIVIBVS . SVIS . DILECTISSIMO

IMPAR . GRATI . ET . REVERENTIS

ANIMI . PIGNVS

D . D . D

A. Z.


854

PARS PRIOR

De absurdo appetitu ovium.

Haud rarissimum est videre homines nonnullarum substantiarum genus, saepe vel nutritioni impar, vel insalubre, tam vehementer appetere, ut nec vis cogitationis, nec voluntatis imperium eos compescere valeant. Acetum, sal culinaris, cinis, carbo, parietarium arenarium, argilla, ferrum, pisces crudi, mures, aranei, bufones, scorpiones, suimetipsius excrementa et similia, neque sunt sordidiora, neque insalubriora, quae a nonnullis ardenter exoptata, nec non devorata fuere. Magis proni in haec absurda videntur individui, infirmae salutis, corpore molles, sensibilitate alacres, ut mulieres, pueri et hypochondriaci; sed priores exempla frequentiora, saepe uteri affectionibus juncta praeseferunt. Quin imo, mirabile dictu, eorum multitudo vel parum, vel minime ex hoc patiatur damni (1), tam praevidens natura fuit in suis etiam aberrationibus.

(1) Vid. Joseph Pasta, Della tollezanza filosofica nel malat. ect. cap. IV.

560

Difficile esse haud inficior, cum isti appetitus occurrunt, eorum originem arguere, qui, ut puto, causae communi minime sunt obnoxii. Saepius videntur a variis vel sympathicis, vel idiopathicis ventriculi morbis provenire; alias invicem a nervi vagi affectionibus pendere possunt. Neque animi fictiones respuendas censeo, imo inde originem duxisse arbitror, quod femina quaedam ab appetitu humeri panificis vexaretur ita, ut vir ejus panificem suis flecteret desideriis, at ille his morsus, dolori diu resistere non valuit (1). Interdum ab inexplebili ingluvie gignuntur, qua de causa cibi vellicantes, et digestioni magis reluctantes seliguntur; cujusmodi exempla habemus in Nosologia Naturali celeberrimi Alibert (2). Istae inordinatae appetitiones mihi oriri videntur a molesto quodam sensu, qui ad seligendas substantias inducit per quas eum posse dirimi vel experientia, vel analogia suadet; quod fit sensationes praesentes illis comparando, quae sensu perceptae fuerunt, cum vel eaedem substantiae vel illarum similes fuerint ingestae.

Talia absurda semper cohibenda non sunt; saepe enim per ipsa natura utile remedium accersit, atque de his profiteri medicum philosophum de-

(1) Dictionnaire des scienc. médical. art. Malacie.
(2) Trad. Ital. Pisa 1816. T. I. p. 157.

cet, et illius magistrae praecepta colere, dum funestum ejus errorem profanum vulgus comprehendit. » Haud rarum est (inquit auctor art. *Malacie* in Dict. cit.), praesertim ex plebe, pueros cachochimicos animadvertere, qui humum et parietarium arenarium unguibus effodiant, ac devorent. Eorum stomachus est hebes, ac sordibus acidis inquinatus; quapropter ut ejusdem vitia corrigantur, naturali instinctu absorbentia requirunt. » Si aegrotantes isti, aut alii, hujusmodi in conditione positi, arte medica uterentur, forsan ad remedia minus nocentia et magis idonea confugerent; idcirco officium esset sapientia medici eorum emendare ignorantiam. Tamen nonveniunt casus in quibus appetitionum ipsarum satisfactio mirifice prosit. Id celeberrimus Pasta (1) quampluribus exemplis confirmat; imo ipse Haller apte subdit: » Qui magno appetitu in absurda aliqua feruntur, et coercentur a medico, vix sanantur, facile et sponte sanitatem recuperaturi, si appetitui indulgeretur. » Quae sequuntur verba Sydenham (2) hic quidem conveniunt: » In his omnibus naturae, ut videtur, aberrationibus, quilibet in praxi medica vel mediocriter versatus, modo animum di-

(1) Loc. cit.
(2) Dissert. Epist. ad Guil. Cole.

« ligenter adverterit, facile concedet aegros haud « paucos ubi primum, spreto medici dictamine, « genio suo obsecundarint, se melius habuisse... » Non est mei argumenti de innocentibus appetitibus disputare, qui semper explendi sunt, voluptatis saltem atque solaminis causa, quod afferunt aegrotis; haec enim in omnigeno morborum genere utilia fiunt remedia, etiamsi ignorem utrum in *stimulorum* an *contrastimulorum* classem neotericis nostris sa adscribere libuerit.

Memorstae appetitus aberrationes quotidie infirmae saluti innixae fuere, et absque ordine ob oculos venerunt, nec de ulla unquam audivi, quae, sanitate incolumi, constanti regula prodiret. Itaque supervacaneam fore non existimo narrationem unius, quam ego observavi hisce proprietatibus instructam. Duabus de causis hoc phaenomenon in lucem emitto; tum quia fieri potest, ut olim illustratum ab acie meotis subtilioris evadat, ideoque in posterum locum adhuc insperatum occupet; tum propter ejus constantiam: dum enim inordinatae appetitiones, de quibus modo loquebar, ut accidentalia symptomata morbi sequuntur, haec contra lex naturae putanda est.

Cum Autumno anni MDCCCXXXII degerem in *Insula Porcarizza* Veronensis agri rure (quo tempore praesertim oves ex alvo edere fetus solent); spectaculo recreabar partus pecudum ad avunculum

meum Aloysium Marani spectantium, et phaenomena quae referam tuno animadverti. Agni dum in utero matris jacent, in muco quodam crasso, sapore atque odore experte mersi sunt, cujus pars aliqua post ortum quoque remanet pilis cutis conglutinata, ex qua postea, opera matrum eos continuo lambentium, expurgantur. Amorem maternum teneri officii causam arbitrarer, nisi eas mihi videre contigisset ab ipso saepe desistere, ut, vel res circumstantes ab eo muco madefactas, vel placentam, si forte illuc linqueretur, cupidissime lingerent. Imo illius humoris partem quam servabam matri propinando, ab ejus prole averti, et eamdem, propter agnum quem abripueram debacchantem, placare mihi datum fuit. Talibus ex observationibus colligere fas est humorem a quo agni foedantur, oves avidissime appetere, et hinc junctum illum pendere ideireo mihi arguere licuit. Mirabar porro cum ceterae oves minime illud suavissimum pabulum puerperis contenderent, atque si ulli portionem exhiberem, probe respueret. Quapropter in suspicionem incidi, ne forsan quaeque ovis humorem proprii corporis reapse flagitaret, alterius vero rejiceret; at mea me fefellit opinio, nam cum duo pecudes uno eodemque tempore peperissent, humorem unius alteri invicem praebui, atque ideo obstupui conspiciens unamquamque alterius humorem, quasi suum ipsum,

devorare. Quin imo muco extraneo matrem ab agno avellere potui, atque mollire furorem quo exacuebatur cum ei filium abripuissem. Tunc mihi dubium in mentem venit, num appetitio illa minime esset diuturna, ac partu confecto, solum aliquid temporis permaneret. Et revera humoris partem cum servavissem, et quinque vel sex horis post partum praeterlapsis, parturienti iterum adhibuissem eum probe repudiavit. Fieri tamen poterat, quod mucus esset mutationi magnopere obnoxius, ut illud breve horarum spatium ad hoc efficiendum sufficeret; ac proinde novum phaenomenon oriretur. Sed cum ex prioribus experientiis mihi compertum esset quamque pecudem humore alieno non minus oblectari; occasione juvante, mucum jamdudum servatum ovi ex partu adhuc recenti protuli, quem libenter ipsa deglutivit, dum prior novissimum paene humorem sororis fastidiebat. Itaque conclusi, curiosum appetitum ovium de quibus sum locutus, post quinque vel sex horas e partu omnino cessare; quamobrem, talibus experimentis pluries eodem eventu iteratis, hunc appetitum cunctis ovibus esse communem; analogia credere jubet (1).

---

(1) Praetereundum non est, pastores interdum observasse pecudem aliquam linctum proli suae recusare, quo in casu natum sale culinari conspergere solent, ut gustum foven-

Accuratius decernere optabam tempus quo singularis appetitus desiuit, an in omnibus ovibus aeque duret, nec non de dulcissimo pabulo aliquam prorsus defraudare volebam, ut effectus perspicerem; at mihi necesse fuit extemplo mearum observationum cursum abrumpere; itaque, ut istud desiderium adimplerem, occasio defuit. Fortasse similia phaenomena penitus detexissem, et eadem proprietas aeque communis comperta foret pluribus aliis animalibus quae suos fetus sub partum lambere solent.

Dum naturae providentiam admirabar, quae ovibus illum appetitum infundendo, etiam agnis quam maxime juvat ut a muco liberentur; animo cogitavi, num ex hoc fonte maternus amor horum mitiorum animalium originem et incrementum acciperet. At cum ab experientiis prioribus pecudes suum, ut etiam alienum mucum indiscriminatim exposcere convictus essem, duobus partubus eodem tempore abortis, prolem obortam commutare censui; nisi enim opinio mea fallax foret, existimavi, proli novae, non minus quam suae, oves blandiri debuisse. Sed contra in natum alienum vim inferebant, ireque succensae vexabant

---

do; ad illud officium oves illicibus. Perrero tamen hoc contingit, et quo perraram exceptionem posito principio concedere oportet, quod ejus generalitati minime nocet.

ita, ut cito victimam arcere ab illis consetus essem, ne tandem occiderent. Tunc memini auctores aliquos perillustres amorem maternum a necessitate lac praebendi pendere evulgavisse; perinde ac si animalia objectum diligant, quod adimplendi naturalem instinctum modum illis suppeditat. Verumtamen, quoad peccdes, praeter experientiam vix relatam, quae istiusmodi quidem opinionem probe respuit, alia insuper phaenomena huic addi possunt. Animadvertitur enim, quod oves lactare agnum alieno ex corpore natum, continuo ardenter adeo recusent, ut eas pastores magna vi coercere debeant, si ad hoc munus peragendum eas inducere cupiunt. Non ne haec innocentia animalia amore suos proles prosequuntur, dummodo ex suo corpore prodiisse sciant, non ne affectus proficiscitur ex amore suimetipsarum? An potius amor maternus spontaneo instinctu in parturientibus evolvitur, atque cognitio prolem esse propriu ex corpore natam, non nisi ad amoris scopum statuendum juvat? Putabam aliquid luminis huic argumento afferre potuisse, si quis cogeret nonnullam ovem oculis velatis parere, proliquae suae alienam aeque vix editam subrogaret, ut cerneretur num quasi suam, prolem alienam ovis permulceret. Optabam etiam, postquam ovis aliqua oculis velatis peperisset, admovere illi, una cum ejus prole, alienum natum, pariter ex partu

adhuc tepentem, ut viderem an suum agnum seligeret, an alterutri blandiretur, an utrique amorem denegaret. At haec etiam experimenta perficiendi angustia temporis facultatem abstulit.

PARS ALTERA

De artificiali lactis secretione.

Dum hisce otiis oblectabar, gregis custodibus saepe congrediebar, qui denuo meam attentionem ad agnam converterunt, quae nuptiarum adhuc expers, agno alterius ubera fecunda admovebat. Mihi narraverunt in primis lac illi agnam recusasse, at ipse pervicax mammam continuo inquirendo, tandem sui desiderio indulsit, et ex hinc lac amanter ei adhibebat. Cum accurate et lac et lactantem considerarem, ex hoc occasionem bubulci ceperunt, ut phaenomenon istius generis, at magis curiosum mihi panderent.

Apud eos in more est lactis secretionem capellis ad libitum promovere, quaecumque se habeant, vel virgines, vel steriles, vel multo abhinc tempore partus; quam operationem phrasi, *tirare in latte le capre*, designant. Ut hoc perficiant, ubera caprarum urtica urenta solent instigare, atque mulcere quasi lac adesset, quam instigationem et mulsionem ter quaterve in die repetunt, et quo

saepius eo melius. Post sex vel septem dies lac probe fluit, tunc urticationem omittunt, et tantum mulgent, quando lac depromere fas est, quantum sufficit ut pergat artificialis fluxus. Lac tali pacto depromptum a communi differre illis nunquam est visum; reapse easdem physicas proprietates praesefert, nec gustui ac stomacho unquam minus arrisit. Cum de hoc cum aliis hominibus illius ruris sermonem habuissem, omnibus talia phaenomena innotescebant, neque exempla similia in medium afferre ipsis difficile erat. Novi ideo communia esse inter eos de quibus tamen inscii videntur physiologi, quamquam illis haec cognoscere fortasse magis decet.

Nequeo asserere, utrum lac virginis pecudis memoratae sponte fluxisset, an a repetito suctu agni prodeeret; reapse veri haud simile videtur, hunc tam flagranter ubera infecunda quaesiisse, nec prorsus singulariter compertum fuit sponte et absque partu, etiam in nostra specie, alias lac adparuisse. Plurimae observationes haec phaenomena comprobantes reperiuntur in erudita dissertatione illustris doctoris *Montesanto*, *Dell'allattamento di tre cagnolette eseguito da una cagna vergine* etc. (1) Itaque tantum moneo, quod etsi similes anomaliae sint feminis magis familia-

(1) Noovi saggi dell'Accad. di Pad. Vol. III.

res, apud mares non desiderabitur, et si in primis uteri perturbationibus saepe junguntur, etiam ab omni infirmitate vacua talia ostenderunt. Non ita frequentes habentur casus lactis fluxus arte lacessiti; tamen et de his medica historia tradit exempla, ut modo laudata dissertatio testatur; imo docto auctori tali pacto ejus catellae lac adparuisse, merito in animo est. Verumtamen hujusmodi phaenomena rara atque curiosa esse non desinunt; quamobrem confido plane frustra operam non impendisse, cum non novum specimen proposuerim, sed novum fontem, ex quo alia eruere ad analyses atque experimenta ampliora instituenda, phisiologorum ad libitum sit iter apertum.

Quae caprarum phaenomena protuli, et alia his similia, magnam organorum secernentium structurae in eorum humoribus concinnandis influentiam patefacit. Illis enim in casibus corporis universum ad illum artificialem fluxum tibildum erat dispositum; atque topica instigatio ad eum producendum suffecit. Etiam cetera organa secernentia si, insueto stimulo locali afficiantur, majorem humoris quantitatem praebent. Non equidem puto a sola locali functione secretionis fluida esse confecta, sed generales dispositiones ad hos affectus perficiendos praecipue conferunt. Ita ab atrophia hepatis, icterus et bilis per organa urinaria secretionem, originem ducunt; ita *Dumas* et *Prevost*

cum arteriam renalem ligavissent, uream in sanguine invenerunt. Hujusmodi producta procul dubio ab universali efficiebantur, nec istis in circumstantiis organa peculiaria minime influebant. Imo etiam lactis fluxus cum sponte et post partum contigit, ab universali pendere reor; non ignoramus enim quam dira mala a lactis suppressione oriantur, atque lacteae metastases saepe perspectae fuerunt. Fortasse a generalibus dispositionibus secretiones plerumque regnntur; at tamen organis inest proprietas ut ex se eas efformare queant, si universalis ad munus consuetum solvendum, aliquibus in casibus, impar sit. Quo in ordine naturae providentia nitebit, cum sciamus secretionum continuationem aliis praecipuis functionibus maximi interesse, atque earum intermittentiam organorum ipsorum integritati nocere. Ex quo fieri potest ut nonnullae secretiones morbi causa ortae, quae ab universali manare putantur, a locali mutatione solummodo pendeant; vel aliae similes nunc ex sole locali influentia, nunc ex generalibus dispositionibus proficiscantur; et forsan hic est modus de postremarum natura quaestiones componendi.

THESES

I.

Tribus de causis medicum decet esse philosophum; in primis ut mentis aciem recte dirigat; dein ut morbos animi, atque eorum in corpus influentiam probe cognoscat; tertio ut arma validissima ad morbos praecavendos, vel debellandos ab animi affectionibus eruat.

II.

Perutile est medico, praesertim in artis progressum incumbenti, omnium physicarum scientiarum studium excolere, non solum propter medendi auxilia, et originis morborum cognitionem, atque experimentorum rationes quas suppeditant; sed (quod difficilius) ut illarum artium progressus viam perpendendo, hoc tutum iter sequatur, ut medicinam ad perfectionis fastigium perducat, aut saltem admoveat.

III.

Facta primigena, seu scientiae fundamentum, opem et studia medicorum praecipue postulant; ut tum nova hujusmodi detegantur, tum nota confirmentur, extendantur, atque majore exactitudine explicentur.

IV.

Inventio methodi qua salutis, et morbi phaenomena majore praecisione decernantur, summopere scientiam intererit, ne, ut fit, nimia latitudine divagemur. Ad hoc sermonis exactitudo maxime prodest. Itaque opus esset ut rerum nomina res sensibus subjectas exprimerent, non, sicuti solent, fictiones atque errores: ab eorum radicibus minime abhorreant, et vocabula composita, chemicorum more, quantum fieri potest, formentur.

V.

Cum generalia principia a factis peculiaribus sint constituta, et ab istorum numero probabilitas pendeat, quod iisdem circumstantiis iterum confirmentur; idcirco eorum valorem numeris exprimi fas erit; imo haec ratio ea repraesentandi simplicior et aptior videtur. Nonne tali pacto probabilitatis calculo medica ars inniti posset?

VI.

In medicina hypotheses quidem non sunt contemnendae, quin etiam ad memoriam fulciendam juvant, cum multa dissita facta amplectantur. At illarum extructio magnam sedulitatem requirit ne observationibus repugnent, imo ut phaenomena praenuncient. Cavere etiam oportet ne pro phaenomenorum causis, (sicut medici heu nimis solent) hypotheses ipsae accipiantur. Denuo opus erit eas

recentibus observationibus accommodare, vel si in paralogismum offendamt, rejicere, nec, dum veras rerum causas inquirimus, impedimento sint. Physica universa quampluribus exemplis haec praecepta nos docet.

VII.

Ad pathologiam generalem redigendam morborum exteriorum consideratio, praesertim oculi, ut magis perspicui et innotescentes, quam maxime confert. Quam viam nondum pathologi secuti videntur.

VIII.

Physiologia etiam ad hunc finem assequendum juvat, cum ad morborum sedes eorumque formae causas reperiendas necessarium auxilium proferat. Sed etsi majorem perfectionis gradum pertingeret (a quo summopere distat) ab ejus sola cognitione, ut libet *Brussais*, principia pathologiae extruere irrationale revera esset. Tali methodo (quod majoris quidem erit) laesiones salutis possibiles non verae decernerentur. Hinc autem patet quam sit labens et infirmum *medicinae physiologicae* fundamentum.

IX.

Ut rerum naturalium cultores ad rerum investigationem magis illiciantur, pactum inira prodesset, ut dum possibile est, muneris ergo, istiusmodi inventis nomen auctoris tribueretur. Hoc quidem astronomi utuntur.

514

X.

Imperfecta phaenomenorum animadversio et analogiae abusus sunt fontes praecipue e quibus scatent systematum errores. Principiorum vero indubiorum inopia, humani spiritus impatientia, atque analogica nonnullorum medicorum argumentandi ratio, sectatores illis comparant et confirmant.

XI.

Cum in ambagibus de medicamentorum virtute, atque de morborum natura quam maxime versemur; oportet ut medicus doctus et sincerus fateatur, simplicem experientiam, potius quam systematicam ratiocinationem, jure praecipuam fore, viro probo, rationem medendi.

XII.

Tactus medicus situs esse videtur in plurimorum levium ac fugacium phaenomenorum celeri et distincta perceptione, eorumque rapido et facili examine atque judicio. Ideo requiritur mens érudita, vasta, prompta et perspicax. Haec divinatio neque docetur, neque discitur, sed natura tantum donatur ut genios insigniat. Artis vero progressus necessitatem hujusce arctioribus finibus circumscribent.

99 532874